

Deum inficiantur: S. Sanctum in virtutem divinam (personalitate destructa) transformant, eoque fidei fundamento diruto, cuncta fermè Christianæ fidei dogmata subvertunt, ex hac tenus disputatis patet. Ordo igitur jam & methodi ratio requirit, ut de quibusdam Veteris Testamenti dictis, Christi divinitatem probantib⁹, eā, quā potero brevitate, agamus, ubi in tria potissimum membra seu capita. διάσκεψις hanc distribuemus, quorum I. apparitionem Angelis Ex. 3. II. tentationem Christi Ex. 17. & III. classicū illud Ierem. 23. &c. 33. dictum κατασκευαζομένος, ηγή ανασκευαζομένος, proponet.

Ut igitur blasphemis hereticorum corruptelis ita occurramus, rite servemus commissum, expectemus & promissum, caveamus prohibitum, ne perdamus concessum: faxit æternus Dei Filius, verus Deus, per quem castæ delitiæ nostræ sint scripturæ sanctæ, ne fallamur in eis, nec fallamus ex eis.
AMEN.

M E M.
I. m. I.

DICTUM PRIMUM

Exod. 3..

THEISIS. I.

Quicunque de medio rubi ardenti vocavit Mosen, ille est verus Deus.

Atqui Angelus domini de medio rubi ardenti vocavit Mosen. E. angelus domini est verus Deus.

Major patet ex attributis soli Deo proprijs. Est enim I. Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob Ex. 3, 6. 2. præcognovit & vidit afflictionem populi sui v. 7, 16, 18, 19, 21. & clamorem eius audivit. 3. eduxit Israëlitas validâ suâ manu v. 17, 20. 4. à pijs item Israëlitis religiosè victimis honoratus v. 18. 5. operatus est propriâ virtute omnia miracula in Ægypto v. 20. 6. fuit autor mandatorum Ægyptijs & Israëlitis à Mose propounderū. v. 12, 15. & 7. tandem conditor est totius generis humani. Ex. 4, 11. Quæ certè, quamvis talia tantaque sint, ne acimo hominum creato cuidam angelo sine blasphemia in eramer-